



Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Tertius In Libros De Coelo; De Generatione Et Corruptione;
De Anima; Et Metaphysicam Aristotelis

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Dubium III. An agens secundum qualitatem contrariam qualitati passi in
quod agit, agendo repatiatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95375](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95375)

LIII. A Nte Resolutionem

Nota pulverem Sympatheticum à suis authoribus fere definiri *medicamentum simplex ex mineralibus unum, quod sine ullo verborum susurro, aliàve ceremoniâ, panno inspergitur, sanguine vulneris, vel sanie ulceris illiro; sic tamen ut plaga interea ab omni sorditie diligenter deterfa linteis mundis custodiatur, & ligaturis, ubi opus fuerit, firmetur.* Hoc notato, fit

R E S O L U T I O.

LIV. D Ico (salvo meliori iudicio) uti pulvere isto omnino superstitiosum videtur & diabolicum.

LV. Probatur, quia si pulvis sit è mineralibus unum, non potest plus virtutis, aut activitatis in se habere, quàm corpora mixta ex elementis refractis in summo; atqui superstitiosum & diabolicum est illis ut efficaciter operantibus ad quamcumque distantiam, nihil obstante quocumque corpore intermedio, uti, qualis est istius pulveris Sympathetici inter suos authores usus, ergo, &c.

LVI. Confirmatur, non apparet cui bono fiat applicatio pulveris istius linteis illitis sanguine, à vulnere quàm remotissimè separatis, nisi ad regendam artem dæmonis, ejusque diabolicas fraudes; & si fortè dixeris sanguinem istum agere in distans, uti pulvis ille Sympatheticus, saltem ut agens partialia; id ante satis refutatum est; deinde cur mundities vulneris requiritur? an fortè immundities illius impedire potest activitatem pulveris Sympathetici summè, & quocumque medio interjecto, distantis? id similiter ante rejectum est.

LVII. Dices, magiam superstitiosam consistere in pacto cum diabolo vel observantiâ vanâ traditum à Delrio: pactum expressum hîc nullum subesse certum est; tacitum quî convinces? revera in me bonâ fide utentem, & omni satanæ operi renuntiantem, abjurantemque non redundat.

LVIII. Respondeo tacitum pactum cum dæmone convinci ex agentis & passi nimia distantia, ejusque actione non obstante quocumque medio interjecto; neque multos esse puto, qui id statim non suspicentur; quare neq; bona fides Medici, neq; ignoratiâ sauciati, videtur hac in parte excusari posse.

LIX. Instabis, non magis miror minerale quoddam facultate celi præditum agere in distans, quàm filium parentis, aut avi, formam, mores, & morbos referre,

Sepè Patris mores imitatur filius infans.

Qualis erat mater filia talis erat.

Sepè solet similis filius esse patri,

Et sequitur leviter filia matris iter.

Polus ferrum magnete illitum attrahit; luna in imo maris plurima generat; quanto ab illis in quæ agunt intervallo hæc & illa dissident? Torpedo manum piscatoris stupefacit; remora navem sistit; lapis Hamatites, Iaspisve sanguinem sistit: quidni pulvis Sympatheticus vulnera in distans curabit? itaque si influentias cælestes agnoscis, & eorum præstatiâ, quid est quòd actionem in distans pulveris Sympathetici neges? atra imprimunt corporibus Physicis vim Sympatheticam & antipatheticam ut patet in oleo & in quercu, vite & brathica inter se dissidentia; item quî fit ut hominem nunquam tibi visum ames primâ fronte, alterum quasi innato quodam odio prosequaris? juxta illud Martialis:

Non amo te Sabidi, nec possum dicere quare,

Ihs tantum possum dicere, non amo te.

LX. Deinde quæro ex te, cur polus non agat in ferrum, nisi Magnete illitum? cur torpedo non stupefacit piscatoris manum nisi apprehenso hamo? Sympathia ergo, quàm habet sanguis eductus cum parte affecta & cruore in ea contento, sine magia superstitiosa, allicit & determinat pulverem, ut vires exserat, easque in partem læsam torqueat,

LXI. Resp. negando assumptum, quia illorum medici & naturalistæ reddunt rationes purè naturales; activitatem autem pulveris Sympathetici apprehendunt omnes Theologi ut superstitiosam; quia actio illius, vel continuatur per totum medium, vel non si sic, quomodo sanat saucium quocumque medio interjecto, & in quacumq; distantia? si non toto dubio præcedenti id fuisse rejectum est: deinde, si hoc, si illud dicatur, vanum omnino est pulverem ante dicto panno applicare, ut consideranti patebit: fateor tamen nullam mihi apparere repugnantiam in possibili substantia tantæ activitatis, qualis dicitur esse pulvis Sympatheticus, nec plus insinuant rationes allatæ; verumtamen illam de facto dari aliunde convinci debet quàm per experientiam pulveris Sympathetici; quandoquidem activitas illius sit de sortilegio & superstitione suspecta: vide solutionem ad 7. experientiam dub. 2º. Resol. II. allatam.

D V B I V M III.

An agens secundum qualitatem contrariâ qualitati passi in quod agit, agendo repatiatur.

LXII. A Nte Resolutionem

Suppono 1º. mutuam actionem esse actionem & reactionem; mutuam verò passionem è contra, passionem & repassionem; qui autem fortius agit & vincit, agere dicitur & repati, qui debilius & vincitur, reagere & pati.

LXIII. Suppono 2º. dubium procedere de agentibus materialibus & sublunaribus, habentibus materiam ejusdem speciei; quia materiale non reagere in spirituale, & sublunaria in cælestia à quibus patiuntur, communiter admittitur: 2º. de agentibus intra mutuam activitatis sphaeram existentibus; quia sicut nihil potest agere ultra sphaeram suæ activitatis, ita nec repati, si sit extra activitatis reagentis sphaeram: 3º. de actione corruptiva, quæ est inter contrarias qualitates; quia inter perfectivas tantum, ut lucem, species visuales, &c. non datur repassio defectu contrarii agentis.

LXIV. Suppono 3º. qualitatum agentium naturalium, hunc satis communiter admitti activitatis ordinem: maximè activus est 1º. calor; 2º. frigus; 3º. humiditas; 4º. siccitas; è contra verò resistentia; maximè resistiva est 1º. siccitas, unde tabescentes & sicci difficulter curantur; 2º. humiditas; 3º. frigus 4º. calor.

LXV. Suppono 4º. resistentiam esse duplicem, unam activam, vel juxta Conimb. contrariam, juxta Suar. radicalem: aliam formalem, vel juxta Conimb. privativam; negativa autem, quam addunt alii, non est propriè resistentia, sed sola incapacitas subiecti ad formam recipiendam: resistentia activa fit per actionem destructivam contrarii niuentis introduci, ut cum aqua in frigidat ferrum candens à quo calefit, dicitur ferro resistere resistentiâ contrariâ, si ve activâ: resistentia formalis fit per solam præsentiam formæ contrariæ impossibilis, exigentis in suo subiecto conservari; quando autem hæc contingat, diximus supra de Alteratione agentes,

Adde

LXVI. Adde has resistentias dupliciter spectari posse, scilicet in actu primo, quomodo non distinguuntur ab ipsis formis magis quam virtus productiva à substantia ipsius causæ; & in actu secundo, quomodo sunt actus resistendi, qui actus cum sint positivi, solis qualitatibus positivis contrariis conveniunt, & ab illis saltem ratione connotati, (puta formæ contrariæ paratæ introduci) separari possunt, uti actus à potentia. His suppositis, sit

RESOLUTIO.

LXVII. **D**ico, datur vera reactio & secundum eandem partem subjecti, contra Calculatorem, & secundum qualitates ejusdem contrarietatis, contra Nyphum.

LXVIII. Probatur 1^o. ex Aristotele 4^o. de Generat. animalium cap. 3^o. omne agens patitur etiam à patiente, ut quod secatur hebetatur, quod calefacit refrigeratur, ergo, &c.

LXIX. Probatur 2^o. variis experimentis; 1^a. manus calida aquam contrectans, eam calefacit, & ab ea frigitur; 2^a. qui manum dexteram calidam sinistræ frigidæ applicat, utriusque vicissim frigus & calorem temperat; 3^a. ferrum candens aquæ injectum, eam calefacit & ab ea frigitur; 4^a. aqua calida commixta frigidæ, eam calefacit & ab ea frigitur, ergo, &c.

LXX. Probatur 3^o. productio mixtorum est possibile, & de facto datur, ergo & vera reactio; Probatur consequentia, quia in mixto nulla qualitas est in summo, sed primæ qualitates sunt attenuatæ per actionem & reactionem, quia non apparet quomodo aliter fiat, præsertim cum mixta sint ex elementis inter se contrariis mixta.

LXXI. Probatur 4^o. agens est simul in potentia ad agendum ratione qualitatis, per quam postea actu agit & in potentia ad patiendum ratione qualitatis contrariæ, quam à passo potest recipere, atqui in passo, seu agere debiliore, est virtus sufficiens ad reagendum, & in agente fortiori est capacitas ad recipiendam qualitatem contrariam, ergo si sit sufficiens applicatio & proportio secundum conditiones requisitas supposito 3^o, erit actio & reactio, passio & repassio.

LXXII. Obijciat 1^o. si daretur reactio, sequeretur idem secundum eandem sui partem simul moveri naturaliter duobus motibus contrariis; item & eandem qualitatem simul naturaliter intendi & remitti; sed hoc est absurdum, ergo, &c. minor clara est: Probatur sequela, sit lignum bipedale ignitum cujus pes A. sit calidus ut quatuor, pes B. ut tria, & aqua prope pedem B. sic tamen ut B. C. sint intra sphaeram activitatis A; B verò tantum intra sphaeram activitatis C. aqua agit in pedem B. remittendo ejus calorem, & pes A. etiam in illum agit, non secus ac in aquam, inter quam est medius, ergo, &c. ita Calculator, cujus argumentum multo hucusque vehementer torfit, ad quod

LXXIII. Respondeo negando sequelam, ad ejus probationem admissio casu, Respondeo aquam agere in pedem B. nec pedem B. aquæ resistere; unde constat nihil moveri simul duobus motibus contrariis: quod verò eo instanti, quo aqua remittit calorem pedis B. pes A. non agit in pedem B. patet, quia nequidem habet vires, ut contineat totum calorem in pede B. quominus activitate aquæ aliquid deperdatur, ergo nec habet vires, ut alium in illum producat illo instanti: item quod pes B. tunc non resistat, etiam patet, quia in primis non

resistit resistentiæ activæ, nam si suum calorem continere non possit, ne activitate aquæ diminuat, quomodo in aquam illo instanti calorem produceret? non etiam resistentiæ formali, quia cedit.

LXXIV. Instabis, si eo instanti, quod aqua agit in pedem B. calidum, pes B. non resistat, ergo non datur vera reactio, sive mutua actio, contra conclusionem & experientias allatas.

LXXV. Resp. distinguendo consequens, ergo non datur vera reactio eodem indivisibili instanti, quod est actio, cōcedo consequentiam; in instanti immediate sequenti, nego consequentiam; actio enim & reactio non possunt esse in eodem indivisibili instanti, 1^o. quia alioqui, nec ulla esset resistentia, nec ulla victoria in pugna contrariorum; nulla in primis resistentia, quia quod resistit quæcumque resistentiæ resistat, debet esse dum resistit; resistit verò secundum solum gradum incompatibilem, & ut præcisè contrarium; si autem fiat reactio eodem indivisibili instanti, quod sit actio, non potest secundum illum gradum resistere; quia secundum illum cedit, definit esse, & non est illo instanti ut resistat, ergo, &c. unde nulla est victoria, quia quod vincit quæcumque victoriæ vincat, debet esse, dum vincit: vincit verò solum secundum gradum incompatibilem & præcisè contrarium; si verò fiat reactio eodem indivisibili instanti, quod sit actio, non potest secundum illum gradum vincere, quia secundum illum etiam cedit, definit esse, & non est illo instanti ut vincat.

LXXVI. Virgebis, victoria non sumitur penes hoc, quod vincens non lædatur & nihil suæ virtutis perdat; sed ex eo quod alterum fortius lædat, sive quod in alterum fortius agat, & alterum plus suæ virtutis perdat; ergo solutio nulla.

LXXVII. Resp. distinguendo antecedens, victoria non sumitur, &c. si pugna sit inter contraria secundum gradus compatibles, concedo antecedens; si pugna sit inter contraria secundum gradus incompatibiles & præcisè contrarios, nego antecedens: de hac enim pugna procedere debet resolutio; nam clarum est, apud omnes, agens repati à passo, si non habeat qualitatem contrariam in gradu incompatibili & contrario, sed in gradu compatible & disparato duntaxat; unde neutrum fortius agat, si pugna sit inter contraria secundum gradus compatibles, quia ubi nulla incompatibilitas graduum producendorum cum præjacentibus, agentium est æquæ fortis actio. Ex dictis

LXXVIII. Collige, quod eodem indivisibili instanti, quod contraria invicem applicantur, in se mutuo non agant & reagant, sed primo instanti sibi invicem ignis v.g. calidus ut 7. & frigidus ut unum, & aqua frigida ut 7. & calida ut unum resistunt resistentiæ formali sine ulla actione: 2^o. instanti agens fortius producit in passum in quod agit, qualitatem contrariam, tantam vel tantam in intensione & extensione pro suâ majori virtute, & agens debilius cedit ex qualitate propria contraria, tantum vel tantum in intensione & extensione pro minore suâ virtute: 3^o. instanti (quantum docent experientiæ in conclusione allatæ) passum debilius resistit resistentiæ formali & activæ, & agens fortius superat & vincit: quomodo autem id fieri possit, cum ab illo agente eodem remanente fuerit priori instanti superatum, & ideo hoc instanti habet vires imminutas? est communis omnium difficultas; nam quæro quomodo eodem indivisibili instanti

superet agens fortius, à quo longè superatur & debilitatur? id enim puto refundendum in naturam agentium per alterationem nobis experientia notam, scilicet, quòd debeant aliquot instantibus cessare à resistètia activa & formali, postquam egerunt secundum totam extensionem suæ victoriæ: 4^o. instanti adhuc sibi resistunt resistètia formali; quia, ut monui, ad hanc requiruntur gradus incompatibiles seu contrarii existentes: 5^o. instanti fortius iterum agit in passum, uti in 2^o. & sic de cæteris.

LXXIX. Ratio hujus processus sumitur ex eo, quòd in contrariis ita resistètia explicari debeat: 1^o. quia alioqui experientia allata ad probandam alterationem fieri interruptè, intelligi non possunt: 2^o. quia sic, clarè patet, quomodo in pugna contrariorum detur resistètia & victoria: 3^o. item cur idem in pugna contrariorum non debeat moveri duobus motibus contrariis.

LXXX. Respondent Conimbricenses, Arriaga & plures alii, in casu, objectione 1^a. allato, pedem A. non acturum in pedem B. toto tempore quò reagit aqua in illum, eò quòd si pes A. non fuerit satis potens impedire ne aqua ageret & introduceret frigus in pedem B. multò minus erit potens in aquam novum calorem introducere, & impedire ne aqua conservet suum frigus. Sed

LXXXI. Contra: 1^o. instanti reactionis aquæ in pedem B. vel aqua restitit pedi A. unum gradum caloris in pedem B. introducere conanti, vel non? si posterius, non apparet cur pes A. non agat in pedem B. quia nulla est resistètia; si prius, vel restitit per gradum, aut gradus frigoris præinventos in pede B. vel per novum aut novos gradus, quos producit in pedem B. non per hos, quia sunt tantum in fieri, & non in actu, quod verò resistit, debet esse actu, ut sæpe dictum est; neque etiam per illos, quia per præinventos in pede B. aqua non fortius resistit actioni pedis A. quam resistat actioni pedis B. in seipsam; sed actioni pedis B. ejusdem naturæ cum pede A. ita resistit ut vincatur, ergo etiam ita resistit pedi A. ut pes B. ab ipso recipiat novos gradus caloris, & ipse vincatur; ac proinde ita ut pes B. simul moveatur duobus motibus contrariis ut contrariis; quia non est, cur potius unum cesset, & alterum agat, quàm aliud; quod absurdum clarè vitamus. Sed contra nos

LXXXII. Difficultas manet quomodo eodem indivisibili 1^o. instanti quò ferrum injicitur aquæ, nec ipsum aqua calefaciat, nec aqua ipsum frige faciat.

LXXXIII. Respondeo tamen rationem clarè sumi ex eo, quòd isto 1^o. instanti sibi mutuò resistant resistètia formali, quæ est secundum gradus contrarios existentes; non possunt autem eodem indivisibili instanti existere ut formaliter resistant, & desinere ut vincantur, quod fieret; scio tamen id videri experientia contrarium, sed attendi debet totum quod experimur fieri in tempore, in quo sunt plura instantia, de quibus hic, si plures partes temporis divisibiles indivisibiliter sumptæ; ac proinde, licet, quantum experimur, id fiat in tempore, respectu nostri, ferè indivisibiliter eodem, non tamen revera ita fit, ut dicat ratio fundata in variis etiam experientiis. Ex his

LXXXIV. Collige ulterius in nostra sententia hoc axioma communiter receptum, *omnis actio est à proportionem majoris inæqualitatis*, id est ab agente habente perfectiorem virtutem agendi, quàm passum, verum esse; quia pro eo tempore quò agens debilius

reagit, fortius non habet virtutem agendi quantum experimur; in Adversariorum verò sententia falsum, quia actio est à debiliiori agente seu reagente.

D V B I V M IV.

Quid Antiperistasis, quomodo fiat, & an detur.

RESOLUTIO I.

LXXXV. Dico 1^o. Antiperistasis est vox Græca circumstantiam contrarii Latine significans; communiter tamen sumitur pro intensio-
ne contrarii unius ad præsentiam alterius circumstantis, ut cum aqua fontalis hyeme calefit, æstate verò frige fit.

RESOLUTIO II.

LXXXVI. Ante Resolutionem Suppono 1^o. manifestâ experientia constare tantas esse in variis locis subterraneis igneas exhalationes, ut plerumque in igneas flammâs prorumpant; illæ verò exhalationes igneæ teste Arriagâ Disp. 3^a. de Generat. num. 165^o. formantur ex aqua & terra tanquam materia, ab influxibus cælestibus v.g. solis, pluviarum, &c. quæ in concavitatibus terræ varia corpora virtualiter calida, ut aurum, gemmas & alia producant.

LXXXVII. Suppono 2^o. calorem esse qualitatem sic homogeneorum congregativam, ut plerumque ea laxet & distendat, ut patet in lacte bulliente; frigus verò qualitatem constipativam. His suppositis,

LXXXVIII. Dico 2^o. Antiperistasis, siue intensio-
nem caloris in aqua v.g. in hyeme; frigoris in terra, in æstate; (nam suppono terram ex natura sua esse calidam infra summum, cum ex natura sua ordinetur ad generationem plantarum, herbarum, &c. ad quam aptior est calor, quàm frigus, ut habet Arriaga Disp. 4^a. de Generatione num. 19^o) hac ratione fieri; frigus in hyeme constipat partes aquæ, atque ita præcludit exitum exhalationibus igneis in aqua contentis, ne ab insita levitate evolent, quo casu omnes illæ exhalationes sese in partes aquæ interiores recipiunt & calorem produ-
cunt, & deinde uniformiter difformiter in omnes partes; calor verò in æstate terram laxat & distendit illius poros, & ita ab insita levitate evolant exhalationes illæ, quibus evolatis, aër & aqua sese, & terram, cui miscentur, infrigidant mediis exhalationibus quibusdam frigidis, quæ tunc remanent. Hinc

LXXXIX. Collige cur loca subterranea & aquæ puteales hyeme calidiora sint; cur calx perfusa aqua accendatur & consumatur; cur carbo Leodiensis madefactus magis inardescat; cur foenum madidum, aut fimus, interdum flammam concipiat, &c. hæc enim continent spiritus calidos, qui propter frigus & humiditatem circumstantem efflari non possunt, & ideo corpus in quo sunt, accendunt.

LXXXX. Addunt Medici nos esse cibi appetentiores in hyeme, quàm in æstate; quia per antiperistasis calor stomachi in hyeme major est, quàm in æstate; sed contrarium est verius: 1^o. quia alioqui in hyeme, nec vinum Hispanicum, sed frigida multa sumeremus; nec sumere bonum esset, contra Medicos: 2^o. quia calor animalis non prodit foras in æstate per motum localem saltando ex subiecto interiori ad exterius, sed per productionem à principio interiori; quod cum in æstate effectum majorem producat, signum est, quòd sit majus; quòd verò in hyeme nimis cibi appetentiores, & me-
lius